
THOMAE MARTINELLI I.C. CAESENATIS ORATIO HABITA CAESENAE 3. IDUS APRILIS...

Tommaso Martinelli

THOMAE MARTINELLI I. C. CAESENATIS, ORATIO

HABITA CAESENAE. III. IDVS APRILIS ANNO CIϽIϽXCVIII. IN FVNERE.

IACOBI MAZONII.




Cæsenæ Apud Franciscum Rauerium.
Superiorum permissu. M. D. XCVIII.

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO D.
D. PETRO ALDOBRANDINO CARDINALI
Amplissimo.


FERRARIAE, ET AD OMNES. ITALIAE Principes de Latere Legato Meritissimo.

THOMAS MARTINELLVS S. P. D.




CVM Illustrissime Princeps, mors cuiq; sit obeunda, si saltem eorum, qui chari, atq; in honore fuerunt imago, vel simulachrum exhibeatur, hoc aliquam consolationem afferre, & ad virtutes, quæ micabant in illis accendere, ac inflamare solet. hinc fit, vt atria, & musæa more antiquo virorum illustrium imaginibus exornata conspiciantur. Eisdem de causis arbitror ipse sapientissimum Solonem funebriũ orationum consuetudinem (si Anaximeni credimus) introduxisse, his nanq; verborum coloribus mortui gesta describuntur, quædamq; quasi illius effigies representatur. Quod grauissimum huiusce consuetudinis pondus in Iacobi Mazonij funere, cum ego subire fuerim coactus; gratũ esse me facturum tibi, qui eum summa

beneuolentia pro ſequebaris exiſtimaui, ſi ea, quæ ad exprimendam tanti viri imaginem fuerunt à me non dicam epicta: ſed pro mea facultate deliniata tibi dicarem. Et quamuis vti Alexander illè Magnus à Lyſippo fingi, & ab Appelle pingi tantumodo voluit, ſic Mazonij effigies ab aliquo Cicerone, vel Demoſthene fuiſſet efformanda: tamen quia hæc qualiacunq; ſint à me eo animi affectu prodierunt, vt in hoc nemini me concedere debuiſſe certò ſciam; ſpero fore, vt abs te, qui vbi facta deſunt, voluntatem laudare ſolitus es, nõ deſpiciantur, & forſan quò minus artem oratoriam profiteor eò tibi erũt gratiora, vt interdum iucundior eſt aqua, quæ ex rudi ſaxo, vt fert natura profluit, quàm quæ ex fontibus miro artificio cõſtructis erumpit. Benignè igitur hanc orationem accipias, in qua de tuo philoſopho plura ſcitu digna reperies, quæ tibi erunt conſolationi, permultis ad ſcientias incitationi. Non nulla carmina ex innumeris quæ in illius obitu fuere contextá adijcere volui, vt non ſolum dolorem communem fuiſſe cognoſcas: ſed etiam, vt eorum ſuauitate, obliuione, quæ haud in mea oratione placuerint obruantur. Vale.



ORATIO.



IACOBVM Mazoniū inter nos mortales, dum vitam agebat ſummopere diligebam, ac venerabar: nunc eo mortuo, neſcio quod maius amoris erga ipſum mei ſignū dari poſſet, quàm ſi ex hoc celebri loco, in tàm frequēti nobiliq; conſeſſu mortem illius lachrymis deplorarem, aliquodq; leuamen acerbiſsimi doloris, quo nunc re vera exanimor, eſſe me percepturum animaduerti, ſi publicè lugerem vnà vobiſcum hanc maximam Ciuitatis noſtræ calamitatem. Vt onus iſtud nunc mihi impoſitum ſuſciperem, his de cauſis tantumodò factum eſt, non autem huc aſcendi, vt tanti viri laudes (vti par eſſet) celebrarem: hic etenim admodum R. Patres longè me aptiores ad id extitiſſent, cū in hac Dominicana Religione potiſsimum, eloquentiam florere vbicunq; apertiſsimum ſit: præterquàm quòd Olimpum nubibus non tegi, Oceanum haud vrna concludi, & radiantem Solis imaginem ab aliquo pictore ad viuū epingi nō poſſe mihi perſpectum eſt, ſic Mazonij laudes à quouis oratore peritiſsimo, etiam poſt diuturnum ſtudium non poſſent adumbrari, comprehendi, atq; vix indicari quidem, ne dum à me, qui Legum ſcientiam profiteor, mihiquè ipſi conſcius ſum, quàm ſint debiles ingenij mei vires, ac tādem cui mors iſta fuit adeò improuiſa: nam cum Ferraria ego reuerterer; ſperabā fore, vt eum ſatis firmo copore inuenirem: ſed ſcitis omnes quæ mora inter meum reditum, & illius obitum interceſſerit. Has attamen penitus nō prætermittam: ſed, ordinem eſſe me ſeruaturum nō polliceor, cum quia tēpus nō adfuit, quo illū meditarer, tū ēt quia ſi filum aliqđ mihi propoſuiſsē, ab eo animi cōmotione, me aberraturum fuiſſe certò ſcio. Ad illud igitur cuius occaſione huc acceſſi me cōuerto. Lachrymis aditum aperiamus, lachrymis grauiſſimū, qui nos torquet lenire dolorē connitamur, lachrymis nos probè cognoſcere, quid ciuitas noſtra perdiderit oſtenda-

mus,

ηus. Et, quamuis, modicum supra mortuum plorandũ esse præceperit SALOMON; quo pacto istud à nobis obseruabitur? quã ratione plorare poterimus modicũ, maxima si est iactura quã fecimus? si virum amisimus, qui omnium sciẽtiarum thesaurus erat? qui patriæ nostræ: sed quid patriæ dico? immò toti Flaminiæ, immò Italiæ eximium splẽdorẽ afferebat? qui semper sibi tantumodo natũ nõ esse demõstrauit, & tu Cæsena optimè nosti, quàm alacriter, vt discendi cupidis prodesset in tuo Gymnasio, quo sola inter alias huiusce prouinciæ ciuitates decoraris, Aristotelis Ethicã publicè olim explicarit. Macerata, Pisæ, Roma hunc virum eadem de causa, viua voce docẽdo magnos exantlasse labores attestent. Hoc totus terrarũ orbis ex operibus, quæ in lucẽ edidit apertissimè cõspicere potest. ANAXAGORAS, cum sibi mors filij fuit nunciata, dixit sciebã, me genuisse mortalẽ: sed hoc genus consolationis parũ nobis prodesse potest: nã, licet nõ ignoremus Mazoniũ mortalẽ genitũ fuisse: attamen, cum Anaxagora illius mortẽ æquo animo ferre non poterimus: quãdoquidẽ filius ille, potius erat inutile telluris põdus, hic verò disciplinarũ omniũ tẽplũ. ille in eo, qđ profitebatur multis, & innumeris postponendus, hic in omni scientiarũ genere ita versatus, vt omniũ sapiẽtissimorũ ætatis nostræ hominũ Princeps toto terarũ orbe iure haberetẽ, & prædicaretur. Anaxagoras filij mortẽ non doluit, ob quãdã illi feritatem innatã, tu vero Cæsena tuorũ ciuiũ mater pijssima es: qua pp video, te sũma cum ratione plãgoribus dolorem exprimere, quo mors illius eruditissimi viri te affecit inopinata. MARCVS Tullius refert Cleobẽ, & Bitonẽ Argiæ filios, dũ ad quoddã fanum mater duceretẽ iumẽtaq; morarẽtur, eos collo ad iugũ suppositto illuc matrẽ aduexisse eãq; postea deã fuisse præcatã, vt præmiũ illis daret pro pietate, qđ maximũ hominibus dari posset à deo: post epulatos cũ matre adolescẽtes sõno se dedisse, manè inuẽtos esse mortuos, ex quo multi colligũt, quam primũ mori præmiũ eẽ maximũ: sed illud fabula est: verũ quidẽ est Ezechia ægrotante, vitã illi fuisse prorogatam vsq; ad alios quindecim annos ob orationẽ Isaiæ, verũ est, vitæ diuturnitatẽ præmiũ videri amplissimũ, cũ hoc homines ab oĩpotẽti Deo ad parẽtes venerandos alliciantur, cũ ergo Mazonius nondũ senex senuerit, atq; ita quinquagesimo ætatis suę anno fati munus impleuerit,

cur

cur illius morte nó cótriſtabimur?afligemur?cruciabimur?Nv
ma Pópilius lugẽdi modũ pro ętatibus,tẽporibusq́, ſtatuit,quę
cõſtitutio apud nos,ſi vigeret, nũc proſus cõculcaretur : tritũ
etenim eſt ex cauſa iura trãſgredi licere. Infinita erãt iſtius ce
leberrimi viri merita, immẽſus quoq; ſit dolor,q nos ob mor-
tẽ iſtã perturbet neceſſe eſt: q̃obrẽ nec modus, nec meta fletui
noſtro poſſet imponi.Apud quoſdã,dũ aliquis naſcebat,natiui
tatẽ luctu celebrabãt,cũ verò è vita decedebat,maximoperè lę
tabãtur.ex his fortaſſe aliqua poterit hauriri cõſolatio?ſed qui
nã erãt illi,apud quos luctuoſa erant natalitia,& læta funera?
Thraces,Thraces dico incredibili homines inhumanitate,in
ter quos barbariei,atq; crudelitatis alij ꝑmulti mores reperie
banť:nos aũt,cũ Thracibus ita diſſimiles exiſtamus,hoc funus,
quomodo nobis lætũ eẽ poterit?quinimmò,cur nõ erit luctuo
ſiſſimũ, cũ adeò firma ciuitatis nr̃æ colũna corruerit ? cum tot,
ſciẽtiarũ lumẽ exſtinctũ remãſerit ? cur potius cũ Plutarco nõ
dicemus,accenſã lucernã neminẽ moleſtè ferre extinctã dole-
re oẽs,ita naſci iucũdũ mori inamabile?Lacenas,vt audiuit,
filium in prælio mortem occubuiſſe;hoc non doluit:ſed ſe met
ipſũ conſolãdo,illis præſentibus,qui eũ de morte filij certiorẽ
reddiderũt,hæc habuit verba.Hac de cauſa ipſũ ego genui, vt
aliquis inueniretur,qui pro patria ſua mortẽ obire nõ trepida
ret.Tu vero Cæſena,cũ ſis orbata hoc filio,qui nõ pro te:ſed in
tuũ grauiſſimũ dãnũ interijt; cũ Lacena te metipsã nõ pote-
ris cõſolari:nã hic erat ille,q maximis beneficijs te afficere va
lebat.hic ille,qui apud tot Principes in quibuſcũq; tuis neceſ-
ſitatibus tibi ſuccurrere nũquã prætermiſiſſet. hic ille demum
qui abs te ſua prudẽtia multas aduerſitates auertere ſtuduiſſet.
Esdra in ſuis viſionibus,quandã aſpexit mulierẽ, quæ cũ filiũ
ſuſcepiſſet, ipſeq; adoleuiſſet, poſt improuiſa morte deceſſit:
quo circa mulier illa ſe ſe gemitibus;eiulatibuſq; cõficiẽdo in
aſſiduo mœrore vitã agebat.nũc idẽ videre mihi videor: nã tu
Cæſena hũc filiũ ſuſcepiſti, hũc ſũmis hucuſq; laboribus educa
ſti:ſed quid?eũ repẽtè perdiſti,eũ tibi mors abſtulit improuiſę,
& eo tempore quo illius opera tibi erat ſũmoperè neceſſaria:
nã vti toties eũ ad prouinciæ noſtræ Legatos oratorẽ miſiſti,
ita nũc in aduentu fœliciſs. Clem.viij.cuius memoriã nulla de
bebit obliuio,vt idẽ onus ferret cõſtitueras nũc attamen eius

ca-

adauer hic antè oculos cernis, dolore cōpūgeris, hancq; trifti tiā, diù duraturā eē profpicio. David cū ad eius aures puenit mors Abfalonis clamore magno impleuit oīa, nec aliquis aderat confolationi locus,& nihilominus notū eft, Abfalonē fcelestiffimū fuiffe, vt pote qui [redacted], in patrē cōfpirarit, aliaq; nefanda fcelera perpetrarit. Tu Cæfena, quæ filiū amififti tot fciētijs, ac artibus, oībus admirandū, cunctis affabilem, in oēs beneficū, ac liberalem, in pauperes piū in aduerfis fortē, in profperis non elatū, tot Principibus ita charū, atq, iucundū, in Deum religiofiffimum, magis iure iftius mortemdolebis, tu quæ in tuos ciues beneuolentia fingulari propenfa es atq; foles non folum proprijs: verum etiam alienis calamitatibus cōmoueri. O cafum acerbum, ò mortē immanem. Iacobum Mazonium hæc nobis eripuit nobilibus ortum parentibus: nam fi patrem refpicimus, is fuit Baptifta Mazonius clarus propria,& auorū virtute, fplēdidifs. atq; ornatifs eques, de quo plura dici poffent, quæ mitto facio: fi matrē, cōfiderabimus hæc fuit Innocētia ex Mafiniorū familia, ex qua tot viri armis, ac literis celebres prodierunt, Præter Nicolaū ætatis noftræ alterū Aefculapiū clarisfimis Venetiarū Senatorib', Illuftrisfimisq; Cardinalibus charum, à finitimis ciuitatibus frequenter cōfultum, atq; adhibitum, fama notum, ac tandem apud nos ita honoratum, vt fæpè ac fæpius ad Cardinales, aliosq;, ac ad Gregorium xiiij. orator fuerit miffus, cui ob amorem erga patriam nunquam fatis digna laus tribui poffet: nam toties principes Italiæ cathedras requifitus valuit obtinere, ac Romæ, & alibi medicinam exercere, maioraque fortè fperare præmia quàm Casfijs, Carpitanis, Aruntijs, Albutijs, Rubrijs, atque Stertinijs conceffa fuerint: attamen patriam derelinquere illi, ne in cogitationem quidem cecidit. Sed in hac Iacobi generis nobilitate non immoror: quia me vocant aliò, quæ de ipfomet dicenda fuppeditantur,& mihi perfpicuum, Platonem in quattuor partes nobilitatem diuififfe, quarū poftremā omnium præftantiffimam effe dicebat, videlicet, cum quis per fe animi ingenuitate, atque magnitudine excellit, eumque verè nobilem appellari, cui non aliena: fed fua virtus ad nobilitatem opitulatur, & hac de caufa Sigifmūdus Imperator ea ptulit verba, verba certè imperatore digna. Ego eos amo, quos virtutibus, & doctri-

na.

na, ex quibus nobilitatem metior cæteris antecellere video: sed si quis ob virtutes, atque doctrinam nobilis vnquam fuit existimandus; quis fuit Iacobo Mazonio nobilior? quis illustrior? si totũ illius vitæ cursum attingere voluerimus; ex ipso semper virtutis, & doctrinæ fontes immò flumina, immò maria fluxisse conspicietur, immò antequàm nasceretur, eum doctissimũ futurum fuisse conijci potuisset: sed quo pacto? audite. Cũ Agarištha Periclis mater somniasset, se leonem parere, Olimpiaque Magni Alexandri mater, tonitru facto, in vterum sibi fulmen illabi, ex cuius ictu, cum ingens emicuisset incendium; illud in latè diffusas flammas abiuisse; facta fuit coniectura, illum, vti leonem fortissimum esse debere, hunc verò imperij sui flamma totũ terrarum orbem occupaturum. Taceo Dantis matrem in quiete conspexisse, se in viridi prato adesse sub excelsa lauro propè fontem copiosissimè profluẽtem, ibiq; filium gignere, qui post exiguum tempus nutriendo se baccis, quæ cadebant pallor euaderet, totisque viribus illius lauri frondes percipere niteretur, ipsumque in hoc dum elaboraret cecidisse, hominemque amplius non fuisse: at in pauonem cõuersũ apparuisse, hoc taceo: quia pariter opus esset, vt hæc Dantem pœtam excellentissimum protendisse demonstrarem. Prætereo Diui Dominici matrẽ in somnis vidisse catulum in vtero se gerere, ardentem facẽ ferentem ore, qui cum in lucem prodijsset vniuersam mundi machinam accendebat, quę omnia euentus declarauit. Omitto alia per multa huiusce generis: sed mihi liceat ex quodam Inocentiæ Mazonij matris somnio illud, ꝙ supra tetigi cõprobare. Hæc, dũ esset grauida, puerũ se edidisse sibi uisa est, atque cũ illo in prato florũ, arborũque frugiferarum pleno spatiari. ibi puer a matre paulum secessit ad colligendos flores, quos matri donauit, a qua, cũ illi obijceretur pulchriores esse, quos reliquerat; ipse respondere videbatur, hoc verum esse: at illos non esse bonos: deinde arbores, ascendẽdo collectis fructibus; eos pariter matri largitus est, ex quibus optimè fuit indicatum quis nam hic futurus esset. pratũ illud tot floribus exornatum, nihil aliud erat, quàm latissimus omniũ disciplinarũ cãpus, in quo Mazonius à patria illi matre charissima modo Bononiã, modo Patauiũ, ac aliò recedendo innumeros flores carpere debebat, & qui flores inueniũ

tur illis gratiores,qui e x ſcientijs percipiuntur?quos, vt multi conſequerentur, notum eſt, eos quàmgrauisſimis laboribus impendijs, incommodis, periculis, ac peregrinationibus inuigilaſſe: iſti etenim paſcunt intellectum,memoriam recreant, cũ ſcire noſtrũ nihil aliud ſit quàm recordari, auidæ hominum volũtati ſatisfaciũt,quibus exceptis omniũ rerum ſatietas eſt, vti Plato aſſeuerabat, hinc Franciſcus Petrarcha nullã ſentire ſe delectationem cecinit,præterquam diſcendo, Iulianus iuré conſultus etiã ſi alterum pedem haberet in fouea adduc adiſcere velle dictitabat,Gregoriusque Nazianzenus hoc facere vsq; ad vltimam ſenectutẽ ſibi per charum,atque optabile eſſe fatebatur,hoc eſt,flores colligere ſcientiarum, eum ea, quæ in illis continentur floribus præcipuè compareṭ Seneca, dum à ſtudioſis apes imitandas eſſe patefecit: verum quia ſæpè latet uitium proximitate boni, noſce qui ſint decerpendi flores, qui verò deſerendi, licet attrahant pulchritudine, hoc opus hic labor eſt. In hoc Mazonius futurus erat admirandus, quod neſcio, an clarius præmonſtrari potuiſſet, quàm, quia in illo ſomnio flores tantũ bonos elegiſſet. Quòd arbores videretur aſcendere, ſi aſcendere honoribus, ac dignitatibus decorari ſignificat;ex hoc innuebatur, ipsũ arbores dignitatũ ſupra ſcabrum, durisſimumq; difficultatum corticem ſcanſurum, multaque præmia percepturum eſſe, quæ fructibus exprimuntur, teq; Cæſena his omnibus cohoneſtandam fore: ſed redeat vnde aberrauit oratio. ſtatim ac per ætatẽ licuit Grammaticæ ſeſe dedidit, ac intra paucisſimos annos incredibiles fecit progreſſus,ita vt præceptor illius tantam ingenij fœlicitatem non ſolum admiraretur:ſed etiã vbique prædicaret.xiij. agens annum traditus à patre fuit in diſciplinam Sebaſtiano Regulo Bononiæ humanarum literarum publico profeſſore, ſub quo per vnius anni curriculum quantum profecerit longum eſſet explicare,quod facerẽ tamen,ſi tempus ſupereſſet, ſique ad grauiora non properaret oratio. Patauium ita volente patre, ſe ſe cõtulit, & ibi pluribus diſciplinis præcipuè philoſophiæ, & iuribus operam dabat ea alacritate,ac ſtudio,vt ex eo verisſimũ cõprobaretur, alijs tempus deeſſe, alijs vero ſupereſſe: nam per pauci,vt in his locis accidit,reperiebantur,qui vix vni ſciẽtiæ tãtũ inuigilare poſſent ipſe verò in pluribus ingeniũ exercebat

bat, ac, vt a se tẽpus minimè cõteri demõstraret; ferè quotidie suos præceptores in vtraq; facultate.s.excelẽtissimũ Pancirolũ, ac Pẽdasiũ, postquàm è cathedra descendissent subtilissimis argumentis ad veritatẽ in disputatis quæstionibus magis eruendam excitabat, non sine maxima scholariũ admiratione, atque doctorum illius ciuitatis, vbi dum commoraretur, audite quæso, quanti à doctissimo Pendasio ingenium illius fuerit æstimatum. Arcangelus philosophus pariter excellentissimus contra Pendasium nonnulla scribere non dubitauit, quæ etiã in lucem exiuerunt, ex quo grauissimus vir ille ex infinito suorum scholarium numero aliquem eligere statuit, (nolebat enim ipse respondere) qui Arcangeli reprimeret atque retunderet audaciam: sed quis ad id fuit designatus? Mazonius noster; quis hilari fronte tantam prouinciam obiuit? Mazonius, quis ad obiecta contra præceptorem diluenda, ac penitus euertenda se se accinxit? Mazonius, quod, cum ita sit, perspicere potestis, quanti ab eo doctissimo viro æstimaretur, quàmque vberrimè doctrinæ fontes, ac flumina ex ipso scaturirent. Patauij cum tres annos in studia incubuisset; in patriam reuertitur, & decem, & octo annorum (præter cætera) quæcunque Platonis, atque Aristotelis opera lectione accuratissima viderat, & id ætatis nonnullas quæstiones a se disputandas colligere, atque digerere cœpit: sed studia morte patris, inopportunaque patrimonij cum fratribus diuisione fuerunt aliquantulum interrupta, quod postquàm accidit a Sereniss. Francisco Maria Feltrio Vrbini Duce amplissimo in suam familiam fuit ascitus, & cum in hac tanti Principis aula morã traheret, consuetudinem, & familiaritatem præcipuè iunxit cum Francisco Panigarola concionatore diuino, qui ad ingenuè philosophandum multa illi suggessit, inter quæ non iniurià primas arti memoriæ artificiosæ deferremus. Et, cum Sereniss. illo Principe permittente, ad sua studia huc redijsset paucos post menses, iam cęptum opus absoluit, adeo copiosum, omniumq; disciplinarum dubitationibus confertum, vt illa Theoremata fuerint quinq; millia centũ nonaginta septẽ, quibus in lucẽ editis; Bononiam contendit, vt illa publicè disputaret: sed, cum quædam difficultas illi refragaretur, quæ inde proueniebat: quia cum in theologia non esset doctor;

doctores contra ipsum argumentari recusabant: qua de causa hunc gradum assumere statuit, magistrumq; Cirillum, seruitarum decus Bononiensis gymnasij theologum primariũ cõuenit, cumq; illi, quod cupiebat exposuisset, attendite quæso magnam ingenij vim. Grauissimus Pater ille Mazonium interrogauit, quandiù theologiæ studuisset, ipseque respondit sex menses tantum se in illa elaborasse. Pater liberè dixit non fore, vt ipse admitteretur a Theologorum collegio, cum in hoc acerrimi exactores esse solerent, immò paucos dies antè quendam fuisse reprobatum, qui septem annos in hoc studio fuerat versatus, hoc Mazonio terrorem non incutit: sed patrem rogat, vt de se periculum faciat, vt puncta, sicut aiunt, sibi assignet, quod cum factum fuerit; altero die illa iuit recitatum: sed, quemadmodum Phidias ex vngue leonem iudicauit, sic mgister Cirillus vix audire cœpit istius viri doctrinam, cum obstupefactus, ipsum facillimè ad peroptatum gradum esse promouendum exclamauit, quo postea summa cum sua gloria suscepto; in Sanct. Dominici quattuor dies, tot ac tantas quæstiones tutando validissimè decertauit. & inter cætera, quæ in hac literaria palestra fuerunt admiranda; hoc nequeo præterire. Admodum. R. Pater Giudicaria ordinis obseruantiæ, vnico proposito argumento; triginta tribus replicationibus infringere solutiones, quæ afferrebantur totis viribus enixus est, quibus omnibus abundè Iacobus satisfecit. Silentio inuoluam, qua memor æ præstãtia argumẽta, quæ contra se adducebantur teneret, quo ingenij acumine illa dissolueret, qua facundia omnes ad se alliceret, atque attraheret, qua doctrinæ copia tot obiecta, quæ, vt ramus ille Iunoni infernæ dictus sacer, immò sicut hydræ capita vno sublato plurima repullullabant obtruncarentur. hæc, dicendo, assequi me non posse fateor: sed audite quid tunc Reuerendiss. Castanea, Bononiæ, gubernator dixerit, perspicite, an à laudatissimo viro prolata fuerint, cũ emanarint ab eo, qui postea fuit ad Pontificatum euectus, perpendite, an grauius ferri potuisset testimonium de Mazonio, quem ad conuiuium cum adhibuisset; ad ipsum hæc fecit verba. duo de te sum locutus, de quorum altero veniam vt mihi des velim, gratia pro altero habenda est, statim ac vidi, te tot theore-

mata

mata discutienda proposuisse, me continere nequiui, quin ita concluderem, iuuenis iste, vel fatuus est, vel omnium sapientissimorum hominum antesignanus, de primo abs te mihi est, ignoscendum, de altero habenda gratia, cum illud prædicarim, quod nunc re ipsa expertus sum. hoc idem Illustrissimus, Palæottus, dum Mazonio gratularetur quòd in illa disputatione sic egregiè se gessisset comprobauit: sed quis hoc negare potuisset? Quis vnquã etenim tàm grandem conclusionum acervum congessit, ac disputauit? quis legit aut audiuit aliquẽ vigesimo septimo ætatis suæ anno in tot scientijs enituisse? C. Nerua admodum adolescens de iure quidem doctè rispondebat: sed iste tãquàm Leontinus ille Gorgias de quacumq; disciplina disserebat. C. Valerius Petronianus ab Alciato nostro celebratur, qui tres, & viginti annos natus iura diuina, atq; humana calluerit, quid de Mazonio dicendũ est, qui eadẽ ætate oẽs artes, atq; scientias apprehenderat? vt ex questionib' illis videre est, opus, adeo admirandum, vt Cardinalis S. Sixti, cui dicatæ fuerant noluerit permittere, vt Romæ disputarẽtur, ita illũ cohortantibus doctissimis, sapientissimisq; viris: quoniã adduci non poterant, vt sibi met ipsis persuaderent, tantã questionũ molẽ Mazoniũ obruiturã non esse: & hac de causa venti latæ fuerũt Bononię, quæ testis est, quonã ingenij acumine vir ille se præditũ demonstrarit. Cæsenam denuò reuersus ad exequias Guidi Vbaldi Vrbini Ducis, qui tũc interierat oratione Pisauri celebrãdas acersitus perfecta eloquẽtia nõ solũ opinioni de se conceptæ satisfecit: sed illam lõgè multumq; superauit. Post breue tẽporis spatiũ Serenis. Frãcisc', Maria, Feltrius mortui Ducis, filius atq; successor eũ sibi in philosophũ cooptauit, & ex ipso mirã delectationẽ suscipiebat, præcipuè cum de aliqua re in cõtrarias partes cũ philosophis, theologis, alijsque professorib. disputationes habebant, iter quas nisi vererer, ne aliquis mihi succenseret; eã attingerẽ, quæ accidit cũ Torquato Tasso; in qua dũ cõtẽderetur an pœmatis Areosti vna tã tũ esset actio; tot rationes pro affirmatione fuerunt adductæ a Mazonio, vt cõcedere coactus fuerit nec amplius cũ eo discep tare Tassus voluerit. & licet postea cõtrariũ scripserit: attamẽ si diutius ille vixisset; iterũ quãtũ a veritate deflecteret Mazonius aperire decreuerat: sed satis sit indicasse hũc virũ illi prudẽtissimo

ſimo Principi chariſsimū fuiſſe, hoc ſæpè numero audiui Piſauri a laudatiſs. viris, hoc ex Mazonij doctrina poteſt ſuaderi, hoc teſtantur innumeræ, quas plurimi viderunt epiſtolæ illius ſapientiſsimi Ducis. Anno CIↃ IↃ LXXV. ob Sanctiſs. Iubileum Romam profectus ibi fuit Philoſophus, ac Theologus Cardinalis S. Sixti maximo in honore habitus, ibi quàm citiſsimè illius doctrinæ ſplendor omnibus emicuit, ibi denique miraculi loco erat, quanto concurſu homines ad ipſum audiendū cōuenirent, certatim omnes ferè cardinales illum habere ſecum ſtuderent: ſed quid mirum? nam ſi Adrianus Imperator in aritmetica, & geometria fuit peritiſsimus, & in Aſtrologia oēs, qui tūc lucis vſura fruebantur ſuperauit, ſi celebrātur innumeri, qui duab. vel tribus diſciplinis excellerēt, cū ex hoc omnium artium, ſcientiarumq; fontes, flumina, ac maria dimanarent, quis ad ipſum audiendum non concurriſſet? quis non fuiſſet admiratus hunc ex improuiſo de quacunque diſciplina diſputantem, ita doctè, profundè, copioſè, atq; ſubtiliter, vt in ea de qua loquebatur omne tempus tantum collocaſſe iudicaretur? ſed quod omnē excedit admirationē eſt, ipſum ea rerum copia fuiſſe imbutum, vt ad quod cunque propoſitum infinita propè abſtruſiſsima in medium afferret loca, propriaq; auctorum verba ex ſcripto referret, quo quid præſtantius excogitari poſſet? cum ab oībus approbetur hæc Iuſtiniani ſententia. Omnium habere memoriā, & in nullo penitus peccare diuinitatis potius, quàm mortalitatis eſſe. Themiſtocles inſigni fuit memoria præditus: ſed videatis quæſo cur ita fuerit celebratus: quia intra annū optimè locutus fuerit perſicè: ſed qua ratione cum noſtro Mazonio conferendus cum is intra paucos annos non ſolum varias linguas callueritt: ſed etiam omnes artes ac ſcientias. Præterea Themiſtocles, cum fuerit a Simonide Melico interrogatus an memoriæ artem adiſcere vellet, reſpondit mallē obliuionis, quàm memoriæ artē: memini enim eorum, quæ volo, obliuiſci non poſſum quæ nolo; At Mazonius noſter, etiā quæ nolebat recordari obliuione delebat. Portius Latro ob memoriæ excellentiā immortale nomen adeptus eſt: ſed quid ab eo factum prædicatur? ipſum quaſcunque orationes, quas habuerat memoria retinuiſſe, maxima certè laus: ſed cum ea quæ Mazonio debetur

betur non conferenda, cum non solum suas orationes, quamuis essent permultæ memoria custodiret: sed etiam præcepta quarumcunque scientiarum, quibus operam dederat; dederat autem omnibus, atque ita, vt quando esset opus legentis modo representaret. Voluantur voluantur historicorum libri, nunquam reperiemus aliquem tantum memoria valuisse, id præterquam quòd experientia ipsa comprobatum est, Lionardus, Saluiatus, in epistola secundi libri adnotationum ad Boccatium, de Mazonio dum in sermonem incidit, ipsum appellat hominem in supremo gradu scientificum, in omnibus linguis ciuem, in omnibus facultatibus magistrum, qui tantum sciret, quantum reminisceretur, qui reminisceretur quantũ legisset, qui legisset, quod scriptum reperiretur: ex hoc omnes adiscebant verum esse, quod Quintilianus affirmat, memoriam facere prompti ingenij famam, in hoc erronea illa Senecæ sententia deprehendebatur, qua concludebat, eum nusquam esse, qui vbique esset: nam voluit in omnibus versari disciplinis; in omnibusque admirabiliter adfuit. Et, licet ex Cæsare Augusto, atque ab alijs memoriam etiam ingenij acumen, secum admittere apparuerit: attamen clarius in hoc sapientissimo viro cernebatur, qui quascunq; difficultates ea ingenij magnitudine resecabat, vt ab eo planissima omnia redderentur, in disputationibus ita contendebat, vt quemadmodum de Rinocerone narrant historici nunquam nisi victor abiret: qua propter mirum non est, si ad ipsum audiendum fiebant concursus, ipseque sic Cardinalibus erat acceptus, & iucundus. & cum ab omnibus doctissimus iudicaretur; in congregationibus anni corrigendi, sacri palatij, indicis, inquisitionis, atq; alijs fuit adscriptus. Cardinalis Montaltus, qui postea Pontifex creatus extitit præcipuè illum diligebat, eiusque noscebat merita, quod in hoc demonstrauit. Quendam episcopatum Mazonio concedere statuerat, Gregorius xiij. quod protinus, ac Montaltus intellexit; ad ipsum se se contulit, eumq; dehortari cœpit, ne Iacobum ab vrbe episcopatu dimitteret, dixitque si sanctitas vestra hunc virum Romæ non detinet maioribus ecclesiæ dignitatibus; quæ dari possunt, vt illi inseruiat, quem postea retinebit? ex quibus verbis Gregorius commotus; recessit ab

eo,

eo, quod iam illi animo fixum erat, illudque, quod sibi prudentissimè fuerat persuasum eligere decreuit: ex quo quilibet colligere potest, quæ de hoc viro speranda essent, Romæ, si permansisset, eoque maximè cum Gregorio Sixtus successerit: nam, nonne facilius credendum est, cum facturum fuisse quod a Gregorio vehementer impetrare studuit? & quæ sit maior dignitas, quæ detur ibi; omnibus notum est: sed quia nescimus quid superuentura dies paritura sit, quo magis necesse erat, vt Romæ persisteret, tunc illum dilectissimi fratris interitus inde in patriam reuocauit, hicq; vt matri morem gereret, vt progeniei consuleret, vxorem Pasolinā duxit ex nobili Pasoliniorum stirpe illis animi dotibus prædiram, quæ in muliere a Salomone desiderantur, & cum istius viri fama ita crebuisset, à Maceratensibus ad philosophiam in suo gymnasio profitendam fuit conuocatus, vbi per annum Aristotelis disciplinam enodauit: sed quia Serenissimo Aetruriæ magno Duci notum erat diuinum istius viri ingenium, dare operam voluit, vt Pisana, Academia tanto doctrinæ splendore illustraretur, quod, cum Maceratenses æquo animo ferre non possent; suæ ciuitatis Præpositum Oratorem ad Serenissimum illum legarunt: sed tandem efficere non potuerunt, quo minus Mazonius noster Pisas proficisceretur. Quò Scholares innumeri tàm ex hac ciuitate, quàm ex multis alijs confluxere, vt eius eloquentia se recrearent, vt eius præcepta perciperent, vt hunc naturæ miraculum docentem audirent. Ibi priusquàm ad suas explicationes aggrederetur; orationem habuit tanta rerum copia refertam, tot luminibus exornatam, vt maximam cunctis delectationem, & admirationem attulerit, cum potissimum ea vi dicendi, quæ mente conceperat pronūciarit, vt, quemadmodū aiūt de Pericle, corruscationes effundere diceretur, mihiq; videre videbar (aderam etenim) Herculem illum, quem effinxere antiqui multis catenulis auribus hominum admotis eos ad se trahentem, cum ab hoc mira facundia hominum aures ad se audiendum, quasi catenulis ad stringerentur, Cum verò Aristotelis arcana referare incępisset, non solum scholares, verum etiam, & Philosophiæ, & legum, & Theologiæ, aliarumq; professionum Doctores Scholam ipsius inusitato concursu celebra-

lebra-

lebrabant, & quoniam ego id sępè numero his vidi oculis, hoc silentio transire non potui; cum verò tempus erat, quo cum alijs eandem Aristotelis doctrinam profitentibus in circulis, vt ibi in more positum est, disputaret, tunc potissimum istius viri ingenium noscebatur, modestia insigni arguebat, incredibili humanitate, infinita rerum copia, doctrinaq; exactissima contra eum obiecta argumenta refellebantur; dum Pisas colebat eodem anno, quo illuc iuit recordor stellam quandam, quæ die cernebatur, apparuisse, propter quam homines admiratione tenebantur, Plumbini, Dominus cum de ea aliquid audire peroptaret, hunc omnium rerum oraculum consulere decreuit, multorumque sapientissimorum hominum comitante cohorte, Mazonij petiuit domum, ex qua commodum egredientem ipsum inuenit, & cum illi declarasset, qua de causa ipsum adiuisset, Mazonius tanta eloquentia, variarum rerum vbertate de illa stella disseruit, vt quicunque aderant, non hominem; sed diuinum quoddam numen audire iudicarent; eo quia si nihil aliud vnquam cogitasset, certè maiori doctrinæ affluentia satisfacere non potuisset, longissimo temporis interuallo inter ambulandum, de hac materia pertractauit, innumeros auctores ad ea, quæ dicebat, comprobanda in medium adducebat, quinimmò ferè semper propria auctorum verba omnibus obstupescētibus memoriter recitabat. Quò factum est, vt Princeps ille postea vehementer obseruarit Mazonium, Cuius merita cum Serenissimus Ferdinandus in dies magis cognosceret, audite quæso, quonam fauore illum decorarit. Moritur Catherina Medicea Galliæ Regis Mater dilectissima, cuius exequias pulcherrima oratione cohonestare cum vellet, quamuis in propria ditione multos eloquentissimos oratores haberet; attamen non illorum hanc funebrem pompā, sed huiusce doctissimi viri oratione voluit exornari, quæ omniū optatis cumulatissimè respōdit, & cū in hāc orationem inciderim habitam in funere Gallorū Reginæ; nunc aliud occurrit de oratore noui Regis eiusdem regionis ad Clementem viij. pont. opt. maximum ad bellorum incendia restinguē da natum. Reuerendiss. Peronæ, Romam ad benedictionem Ragis Nauarriæ impetrandam cum proficisceretur ali-

quot dies Florẽtiæ a Seren. illo magno Duce fuit ſplẽdidè receptus, & Mazonius ad ipſum doctrinæ copia varietateq; oblectandũ fuit delectus, qui ſic iniuncto ſibi muneri ſatisfecit, vt orator ille, dum abiturus eſſet dixerit, ſe Florentiæ multa præcioſa conſpexiſſe, quicquid enim admirabile inueniebatur, ibi fuit illi diligenter oſtenſum: ſed rem vidiſſe, quæ cęteris præſtaret, cuiusq; ſimilis nullus alius Princeps potiretur, cumq; ſciſcitaretur, quid illa eſſet, poſtquàm aliquantulum cogitandi anſam præbuit, tandem in hæc verba prorupit. hæc eſt Mazonius, gemma verè ſingularis, ac præcioſiſſima, & ſi Alexander ille Magnus, cũ inter Darij ſpolia quædã arca gemmis auroq; contexta oblata fuerit, varijs varia proponentibus, quæ in ea recondenda fuiſſent; declarauit nihil conuenire magis, vt ea ſeruaretur, quàm Homeri opera, ex quo indicauit, ſe illis nihil nobilius exiſtimare, ſic iſte vir doctiſſ. atq; ſapientiſſimus totius Galliæ, Mazonij doctrinam quibuſcunq; præcioſiſſimis rebus antetulit. Et ne ab illis nunc deuertam quæ à Mazonio Florentiæ facta fuerunt, prætermittere non debeo in Cruſcæ Academia, eum explicationem habuiſſe, in qua antiquorum bibendi, vinaque conficiendi conſuetudo ad amuſſim declaratur, & potiſſimum, quænam eſſent vinalia, quoque tempore celebrarentur, multis dubitationibus reſecatis clarè, ac dilucidè demonſtratur. Annis elapſis cum quædam cometes apparuerit, à multiſque optaretur ſcire, quid illa eſſet, quidq; ſignificaret; Chriſtianæ illius Sereniſſimi vxoris iuſſu tractationem compoſuit, quæ quantũ delectauerit omnes, ab ijs dicatur, ad quorũ manus illa peruenit. Sed, dum percurro, quæ Florẽtiæ acciderunt, vnum penè præterij, quod præ cæteris ſcitu dignum eſt, ac, pro quo non ſolum Florentini: ſed totus terrarum orbis Mazonio gratias habere debet. Prædicet quidẽ Cicero, Syracuſam nobiliſſimam Græciæ ciuitatem, quondam verò doctiſſimam Archimedis ſui ciuis acutiſſimi monumentum ignoraturam fuiſſe, niſi ab eo didiciſſet. Iactet ſe: quia illud ab homine Arpinate fuerit adinuentum. Nos Nos eò magis gloriemur, cum ab homine Cæſenate aliud longè præcioſius; quàm ſepulchrum Archimedis Florentiæ factum fuerit, vt inueniretur; ſed quid? Theſaurus fortè? nequaquam; arca librorum plena, vt illa quam Numa Pompilius voluit

luit secum sepeliri? nec minus. Anulus illi virtute similis, qui à Gyge repertus ennarratur? nec etiam; quid ergo istud est? attendite. nulli dubium est, quin omnibus pergratum sit sanctorum videre imagines, & eas præcipuè, quæ à pictoribus magno nomine pictæ fuerunt, atq;, quòd magis refert, quæ ad vnguem eos ræpresentent, quorum sunt imagines: sed quis vestrum ignorat, inter sanctos Franciscũ præclaris efferri laudibus ob tot miracula? ob tot priuilegia illi ab omnipotenti Deo tributa? quis istius sanctissimi viri veram imaginem videre non peroptasset? Hæc Florentiæ repetiebatur à Cimaboue sui temporis pictore excellentissimo ; hæc in tenebris delituisset, si à Mazonio, vbi locata erat non fuisset indicatum. Is aperuit, eam in S. Crucis claustris cunctis incognitam adesse, quod cum innotuisset; Illi admodum Reuerendi Patres eam inde tulerunt, atque per vrbem asportarunt infinita populi multitudine comitante, summo cum omniũ gaudio, eamq; intra illam Ecclesiam collocarũt, vbi ab omnibus conspici potest, quis ergo Mazonio gratias nõ habebit, cũ ipse in causa fuerit, cur amplius inæstimabilis imago illa in tenebris non latitaret? sed vt iam Pisas reuertar prætereundum non est, ibi eum, decem annos philosophiam enucleasse, stipendiumque illi quingentorum aureorum statutum fuisse, quod postea vsque ad septingentos fuit adauctum. ordinariè Aristotelem, extraordinariè Platonem immensa cum sua gloria, scholariumque vtilitate profitebatur: sed non solum viua voce docendo: sed etiam scriptis multa commendãdo humano generi plurimum profuit, & hic animaduerto ab re nõ fuisse quòd alicui certo filo me metipsum nõ alligarim: nã vti præuidebã forè, vt sic me dolor in ordine disturbaret, vt ab eo facilè recessurus fuissẽ; sic re vera nõ secus accidisset: quoniam in hoc vitæ Iacobi cursu, cum, ea, quæ in illius iuuentute facta fuerunt attingebam; necesse fuisset, vt dixissem, ipsum post disputatas questiones, in patria dum esset, rogatũ quibusdã Rodulphi Castrauillæ oppositionibus cõtra Dantẽ ita respondisse, vt Franciscus Panigarola, qui tunc hac pertransijt, lectis quæ Mazonius in lucem ediderat, ipsum omnipotẽtem appellarit, (vt eadẽ voce, qua ipse vsus fuit etiam ego vtar.) Demõstrare debuissẽ, cũ aliquibus postea transactis annis cõtra il- &picta

las respõsiones fuerit replicatum, cum duo volumina compo suisse, quibus ea, quæ contra scripta fuerant refutauit: verum hæc suo loco dolore turbatus recẽsere non potui: nunc autem, cum mihi succurrerint, permittite, vt intacta non relinquantur: quia scitu maximopere digna sunt. licet diù in ancipiti cura versatus fuerit, an iterum respõdere deberet, tandem priusquàm terminaretur annus, vt contra se obiecta tolleret; duo volumina, vti dicebam condidit, & magna, & talia, vt nihil supra desiderari potuisset: nam homines doctrinæ varietatem perquirunt? in his de omnibus artibus, ac scientijs pertractatur. gratum est, vt quæ dicuntur auctoritate corroborentur? nihil ferè ibi appositum est, qnod infinitis propè auctoritatibus non innitatur. modestia in responsionibus exigitur? doctrina: non autem conuicijs contendit. iucundus est in operibus ordo? ita quæ in illis libris continentur disposita sunt, vt aliunde non decerpta: sed vnum ex alio fluere videatur. Distinctè quæ scribuntur sunt explicanda? quilibet liber in peculiaria capita est distributus. responsiones quæ obiectis dantur debent, esse ita acres, vt ea pœnitus obtruncent? qui contra Mazonium scripserant obmutuere, ex quibus dignoscere potestis quãti ob omnibus isti pro Dantis defensione libri faciendi sint, quorum primus non sine admiratione summa legi potest ab omnibus, cum multis ab hinc annis in lucem prodierit: alter verò fortasse diutius in tenebris non latebit: nam reperitur penes Ducem Lotharium de Comitibus, cui hoc anno traditus fuit, Mazonio ita volente, cum Illustr. Aldobrandinus velle se, vt typis excuderetur declararit. hærendũ etiam in eo mihi, fuisset qđ illi Venetijs anno CIↃ IↃ LXXXIII. accidit. Vbi tunc temporis quidam adolescẽs Hybernus reperiebatur ita facundus, & in disputando promptus, atq; subtilis, vt quicunque cum eo contendebant illi cedere compellerentur, hincque nemo illi par inueniri posse credebatur: sed, cum doctrinæ Mazonij splendor fulgere incœpisset; non defuere qui horum vtrunque simul disceptantem audire peroptarunt, ac studuerunt, hacque de causa sepè ad splendissima conuiuia inuitabantur, in quibus ita egregiè, docteq; controuersabantur, vt nihil iucundius audiri potuisset: sed quia rerum euentus considerari debet, cum lumen maius

ius

ius minus obtenebret; ter duntaxat honestum disputationis certamen obiuerunt, cum Mazonius illum ita argumentorum copia, & robore perstrinxit, vt nullo amplius refugio relicto, ille se rei militaris professorem esse coactus fuerit confiteri, qua responsione, an corruerint ea, quibus fuerat implicatus; in vestra opinione relinquo, redeoque ad Dantis defensionem, &, inde ortam cum Francisco Patritio contentionem tacitus pertransire non possum. Cum in eo libro Mazonius veritatis studio, Patritium rectè quadam in re non sensisse tetigisset, doctissimus vir ille contra se obiectis responderе conatus est: sed inter hos fortissimos duces ita incaluit pugna, vt Mazonius Patritium postea centum obiectionibus transuerberarit, quibus ille acutissimis responsionibus mederi, Mazoniumque pungere contendit, sed ipse demum sic accuratè replicauit, vt Patrtius acquiescendo, fateri se victum indicarit. Res quidem memoranda: quoniam Patritius vir erat in omni genere scientiarum eruditissimus: at tamen in hoc quid contingerit intelligitis, ex hoc præcipuè, veluti ex lydio lapide quàm singularis esset Iacobi doctrina, etiam tacente me deprehendere potestis. O virum certè diuinum tu vigesimo septimo ætatis tuæ anno quinque milia centum nonaginta septem theses Bononiæ defendisti, tu de diphtongis tractatū cōtexuisti, tu Dantem ab obiectionibus Cæstra villæ protexisti, tu pro Dante scribendo iterum thesauros, qui in illius pœmate abscondebantur aperuisti, tu Patritio, quæ tua ingenij vis esset in contentione illa demonstrasti. mitto multas orationes quas habuisti, ac edidisti, mitto tractatus, parnegiricos, aliaque per multa, quæ non fuerunt impressa. Sed hæc dū perstringo nō expectetis, dū multa dicā de opere illo, quod anno superiore in lucem emisit de cōparatione Platonis, & Aristotelis, in quo istorum philosophiæ principum in quolibet dogmate vnanimem esse consensum, miro ordine, admirabili stilo, doctrina recondita, & exquisita, nouisq; expositionibus patefacit: nam, qui librum illum animo non infecto peruolutare voluerint; non quæ à me dici possent: sed quæ forent dicenda ingenuè fatebuntur, cum plus habeat in recessu quàm in fronte polliceatur. Post huiusce libri editionem Illustriss. Cardinal. Aldobrandinus

qui inter egregias animi dotes, quæ in eo mirificè splendēt nec Pompeio Magno, nec Artaxerxi nec Arcadio, & Honorio, Sigismundoque Imperatoribus, nec cuiquam alij in literatis amore, ac præmio prosequendis, est postponendus; optare cœpit, effecitque, vt Mazonius Romam proficisceretur, & fortè sciebat etiam, quo fuerit honore quondam dignatus à patruo suo Clemente viij. Pontifice nostro, qui, dum Cardinalis esset, Macerata cum transiret; Mazonij fama excitatus, eum tunc ibi docentem audire deliberauit, & ob habitam ex tempore admirabilem expositionem; illius doctrina ita fuit captus, vt eum eodem die secum vsque Tolentinum esse voluerit, vt eò magis tanta ingenij suauitate perfrueretur: sed Romam redeamus, illuc lectica fuit vectus: sic namque placuit Serenissimæ Christianæ, vt homo, adeo clarus minus, quàm fieri posset æstatis caloribus, itinerisque molestia offenderetur. cum Romæ splendidissimus Cardinalis è Marchionibus Montis, qui multis ab hinc annis illius amantissimus fuit; exultanti lætitia hospitatus est: sed cum Illustrissimus Aldobrandinus, apud se diuersari omninò voluit. ibi quàm honoratè fuerit exceptus, superuacaneum esset, si referre conarer: quia ni fallor scitis omnes, hunc summi Pōtificis nepotem dilectissimum eximio splendore, atq; nitore vitam traducere: attamen dedignatum non fuisse velle, vt in suis conuiuiis manè, qđ paucis datur, Mazonius accuberet, hocq; facere illi fuisse iucundissimum. Vobis omnibus liquet, sapientiores, qui Romæ reperirentur coram tam firmo, S. R.E. cardine de Mazonij doctrina periculum fecisse, ipsamque in dies magis, ac magis emicuisse. Neminem vestrum fugit, gratiæ causa, multa eum obtinuisse, etiam, quæ amplius alicui concessa non fuerunt, & cum prudentissimus Aldobrandinus Mazonij famam longè veritati inferiorem cognouerit; operā nauauit, vt Romæ remaneret, salua Magni Ducis beneuolētia, cui Mazonius ob singularia beneficia, quæ illi accepta referebat, ac prædicabat, se mēoria sempiterna obstrictum profitebatur, quod tandem ex animi sententia contigit, vt ex epistolis Archiepiscopi Pisarum, Ducis Brachiani, Serenissimæ Christianæ ad Iacobum missis apertissimè panditur, quod cum ita fuerit, memoria repetatis; cum ad lecturam phi

loso-

losophiæ ſuperordinariā electum fuiſſe, cum ſtipendio aureo rum mille, quod in eo gymnaſio, nec Patritio, nec alijs eandem diſciplinam profitentibus vnquam fuit aſſignatum, &, cum orationem habuerit, quæ ex generali totius orbis cōſuetudine (teſte Cagnolo) expoſitiones pręcedere ſolet: Romam, quæ millies ab oratoribus excellentiſſimis ita fuit celebrata, vt nihil dici poſſe exſtimaretur, quod alij pariter non comprehendiſſent; laudibus à nemine tactis ex dictis Sibillæ Homeriq; carminibus hauſtis extulit, qđ oēs obſtupuerunt: ſed poſt quàm tribus explicationibus Ariſtotelis doctrinam ſcholaribus impartitus fuit, cum Ferrariæ bellum eſſet inferrendum, ob idque inaudita celeritate copiæ compararentur; Illuſtriſs. Aldobrādinus, vt Bononiā hac de cauſa ſe ſe cōferret vbi coitio militū faciēda erat à Sūmo Pōtifice decretū fuit, vt eo totius exercitus Præfecto generali conſtituto; bellū proſperè adminiſtraret, &, cū Roma diſceſſiſſet Mazoniū ſecū adduxit, cū quia ſciebat iſte oculatiſſimus Princeps, quid in re bellica poſſet conſiliū, cum melior ſit ſapientia, quàm vires, tum etiam quia hiſtoriæ illius belli conſcribendæ illi onus iniungere in animum induxerat: tum etiā quia eius opera in alijs negotijs vti cōiſtuerat, & dū iter habebatur; hic in eius domo recipi hoſptio cū oībus ſuis dignatus eſt, præter tres Duces, epiſcopos, alioſq. Fauentiæ poſtea, cū deuentū fuiſſet, ibiq; ſtatutū, vt aliquis vir inſignis ad rempublicā Venetam ob bellum Ferrariæ immi-nēs miteretur; Mazonio Mazonio tanta prouincia fuit demandata, & qua dexteritate, quod ſibi commiſſum fuerat explicarit, & ſucceſſu fuit comprobatum, & quia torque tercentorum octuaginta quattuor aureorum, alijſque multis muneribus magni prætij donatus abijt, Ferrariamque, cum perueniſſet iam in eccleſiaſticam libertatem nulla facta cæde, abſque aliqua offenſa reſtitutam; illum hilari benignoque vultu excepit Glorioſiſſimus Aldobrandinus ob res præſtanti ſua prudentia fœliciter geſtas, apud quem dum illius eſſet commoratio; ſæpe, ac ſæpius in conuiuijs inter differendum de his, quæ à multis proponebantur de re militari ſermonem habebat, & hic illud mihi venit in mentem, quod legimus de Phormione, qui, quamuis nunquam fuiſſet in bello: coram Annibale de bello tamen loqui

ausus fuit:sed Annibal respondisse fertur, multos deliros senes sæpe vidisse: sed qui magis quàm Phormio deliraret vidisse neminem: At Mazonius cum Illustriss. & Excell. Martio Columna, Petro Gaetano, Lothario de comitibus, Mario Farnesio, ac alijs, qui tot Annibales, immò tot Alexādri iurè possunt appellari de arte militari differendo, eū ipsi nō vti delirū aspernabantur: sed potius, vti diuinū admirabātur. Ferrariæ paucos dies post illius aduentum; Ferrariensis Gymnasij moderator fuit declaratus, &, dum animo volueret quo pacto munus sibi impositū exequeretur, erisipelatis morbo in dextero pede cœpit affici, ac impediri, ne suas partes ageret: sed post conualuisse cum arbitraretur, scholas visere, aliquos doctores audire voluit, vt rectius hac in re consilium capere posset. ex hoc motu morbus, qui iam recessisse iudicabatur rediuiuus apparuit, & sic ei lectulo fuit recumbendum, quod omnibus maximum dolorem attulit, & hac de causa doctissimi viri, Principum oratores, episcopi ad eum in amplissima episcopali domo ægrotantem visitandum mœrentes accedebant, & hoc officio Illustriss. Aldobrandinus, cum tota sua cohorte, me præsente, humanissimè functus est. Cum autem suppuratione morbus depelleretur paulatim ingrauescente quadā stomachi debilitate, quæ à dięta prouenerat. Mazonius huc aduehi voluit, hicq; breui ex, valetudine erisipilatis euasit, & lectulo surrexit, adibat ecclesias, per vrbem vehiculo ferebatur, ex hocq; omnes mirifica lætitiæ titillatione gestiebant: sed cum adhuc perduraret virium imbecilitas, atque continuè augeretur hæc iterum eum lecto affixit, & febris pessimi generis, atque occulta superuenit, quæ post quinque dies, ortis conuulsiuis motibus extraordinarijs ob humorum ebulitionem in solis occasu illum vita priuauit. O miseram hominum conditionem, spem fallacem, fragilem fortunam, inanes nostras cogitationes, quæ in medio spatio franguntur, & corruunt, & antè in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt, nunc in summo tuorum honorum fastigio fuisti nobis ereptus, nunc tui corporis cum anima nexus fuit dissolutus, nunc ex corporis vinculis tanquam ex carcere euolasti. Astrologi hoc anno virum in literis illustri nomine interiturum

esse

isse minitabantur. tu tu ille fuisti, qui tua morte quod prædicebatur comprobasti:ita enim ob abundantissimam doctrinæ copiam tua fama percrebuerat, vt totus terrarum orbis, illius terminus angustus haberetur, nec suffecissēt mūdi, quos Democritus somniauit. Tua morte ita nos mœrentes reliquisti, vt nullum consolationis genus inuenire posse videamur: sed si eloquentia illa, quæ in te extincta est posset excitari, tibique tantum spiritus tribui, vt breui spatio nobiscum loquereris. si Cyrenaicus Hegesias de morte ita copiosè disputabat, vt, eo audito, multi mortem sibi consciscerent, sic mihi persuaderem fore, vt nos ad leniēdum illum dolorem immoderatum adduceres atq; impelleres. diceret enim arbitror cur meo ex hac vita recessu afficiemini? cur mœrori finē nō imponetis? succurrat vobis illud, qđ apud Aegiptios seruabatur, qui, cum aliquod celebrabāt conuiuiū; in medio illius corā oībus mortem ex ligno fabrefactam asportari iubebant, & antè omnium oculos vsquequò perdurabat conuiuium tenebatur, quique illam attulerat dicebat, huc respiciendo, quid de vobis futurum sit animaduertite; sic vos omnes, qui hic adestis, cum in me mortis imaginem aspiciatis, prospicite pariter, quid vobis debeat euenire, consideretis, vos quoq; perituros esse, sicq; fore, vt demum ad me qui vobis ita charus extiti adueniatis. hoc genere consolationis vtamini, ad hoc vos, incitet Dauid, qui, cum ob infirmitatem paruuli, ex Bethsabea suscepti ieiunauit, ingressusq; est seorsum, & iacuit super terram, cum autem puer ille vitam cum morte commutauit; è terra surrexit, atq; comedit: &, cum interrogaretur, cur ita fecisset, dixit propter infantem, dum adhuc viueret ieiunaui, ac fleui; dicebam enim quis scit si fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans. Nunc autem quia mortuus est quare ieiuno? nunquid potero eum reuocare amplius? Ego vadam magis ad illum, ille vero ad me non reuertetur. Sic vos cum ad me venturi sitis, ego autem ad vos minimè reuersurus, cum Dauide vestrā ægritudinem leniatis, & si nos homines nihil aliud sumus, quàm bulla, vitrum, stipula, fœnum, folium, flos, piscis ephemerus, aquavmbra, lutum, & cinis, qua de causa ita dolendū est si citò euanescimus, atque frangimur, si mortis flāma nos destruit, falx obtruncat, rapit vētus, pes conterit, si ita dilabimur

mur,fugimus, in pulueremq; reducimur? si vita nostra militia est, finem imposui pugnæ, si omnium miseriarum mare procellosum, illud enauigaui, si peregrinatio, ad metam perueni:finem ergo dolori vestro imponite. quod eò magis faciendũ à vobis est,quià si Plinius occubuit igne, Veneno Socrates, Zeno fuit interfectus Phalaridis iussu, Anaxarcus mortario cõtusus,vt Nicocreonti satisfieret,si Aristoteles in flumine Euripo vitã finiuit,Calisthenes,è fenestris fuit eiectus,Euripedes, Diogenes, ac Lucianus sophista canibus lacerati, Aueroes apposita supra pectus illi rota crepuit, Seneca ita iubente Nerone in balneo fuit extinctus,Si Ciceroni caput fuit obtrũcatũ.Ioannes Scotus à subita scholariũ conspiratione gladiolis interemptus. Petrus leo spoletinus in puteum proiectus Aesculpius ictu fulminis occidit,alijq; permulti huiusce generis homines morte miserrima perierunt. Me saltem in patria, domique meæ febri vita defecit, in hoc meo extremo vitæ spiritu, quos diligebam vidi, ab his multa recepi officia, excellentissimorum Medicorum mihi non defuit diligẽtia, omnibus Ecclesię sacramentis munitus ex hac vita migraui: cur igitur supra me modicum nõ plorabitis? Nullam fecistis iacturam: nam in hac mortali vita si apud terrenos Principes vobis prodesse poteram:in alia vero apud eum, qui Rex est Regum, Dominusq; dominantium, forsitan vobis maiora deprecabor, ac impetrabo. Si mortalis genitus eram; cur mea morte ita perturbamini? Quemadmodum enim Anaxagoras: eo ꝙ præcogitarat, filium esse genitum mortalem dolori proprio aliquam attulit medicinam. Ita vos inter me, & filium illius nullo posito discrimine dolorem vestrum efficite, vt deponatis. Nec vos disturbet, me eo præmio priuatum videri, quo ad parẽtes venerãdos homines alliciuntur; quia illud antè Christi aduentum præmium erat maximum, tunc etenim, statim ac aliquis moriebatur, quamuis iustus, ac sanctus ad Cęlum non aduolabat; sed ad limbum in sinum Abrahæ descendebat, & hac de causa tunc viuere diù super terram præmium erat optabile: nunc autem, cum Cœli aperti fuerint à Christo; melius est quamprimum mori, quod, cum mihi acciderit, etiam si apud vos Numę Pompilij constitutio adesset, obseruanda esset;

nam

nam licet obierim: quia eam, quam mihi Dominus dedit vitam, nunc eidem à me repetere placuit, cum nihil ex rebus vestris abstulerit, acquiescendum est; Aquiescendum est dico, immò lætandum, ex hac vita me decessisse iuxta consuetudinem Thracum, quorum licet multi mores valdè sint detestadi, hunc tamen vti optima cum ratione coniunctum, Mors nanq; à malis liberat, excludere non debetis, eoque minus: quoniam etsi vobis videor pro patria nō vti Lacenæ filius oppetijsse, forsitan aberratis: Nam cum vsq; à teneris, vt Patriæ aliquam gloriam afferrem; diuturnis laboribus, ac vigilijs me me supposuerim, & in his hucusque perseuerarim, hæc forsan: sed quid forsan? mihi vitam ademerunt. Dolorem igitur leniatis, & vti Esdra afflictam illam mulierem consolari studebat, sic vos dolori vestro mederi enitamini, nec mortem meam, vt mortem Absalonis lugere debetis: quia dolor Dauidis non tàm à morte filij proueniebat; quàm à genere mortis; quòd à Ioab tribus lanceis confossus expirarit: Ipse vero in lectulo meo omnibus sacramentis armatus animam effudi. Gratia profectò, auditores summa, gratia ab omnibus expetenda: Nam interdum nauis, quæ altum tuta enauigauit in portus ingressu submergitur, & cum ad extremum istius viri vitæ terminum effluxerit oratio, si cupitis addiscere quo pacto benè moriendum sit; eius mortem meditemini. Hipocrates in corporis infirma valetudine nouem adducit signa, quibus de infirmo benè sperandum est, & sunt hæc. Morbi tollerantia, agilis per lectulum motus, effigies sibi similis, cibi appetentia cum sanitate mentis, noctis somnus, qui prosit, facilis respiratio, atque suauis, pulsus æqualitas, bona concoctio, sudor copiosus. Sed hæc ad animæ salutem transferamus, hæc quilibet efficere studeat, vt in suo supremo die, præbeantur, hæc habuimus in Mazonio, ex his est, de illius animæ salute confidēdum: Nam sudauit ob ardentem, suorum peccatorum compunctionem: propter quā apprehenso in manibus crucifixo ab eo per acri contritione pro illis veniam postulabat, dicebatque Iesu saluator meus, creator meus, Redemptor meus Iesu anima mea miserere mei. Benè concoxit, quæ à Reuerendis Patribus alijsq, religosis tunc assistentibus de Deo ministrabantur. Pul

ſus nūquàm ei fuit inæqualis: quia eadē animi firmitate Deū laudabat,& ſępè,ac ſæpius clamabat. Benedicā Dominum in omni tēpore,sēper laus eius in ore meo. ò conſtantem pulſus æqualitatē:Facillimè reſpirauit à tentationibus,quæ illi a cōmuni inimico inferebantur, & in hac reſpiratione dicebat. Illumina oculos meos ne vnquā oddormiāt in morte, ne quādo dicat inimicus meus ꝑualui aduerſus eū,& in hac eadē cōtētione ad Dominū cōuerſus has voces frequēter iterabat, in te domine ſperaui non confundar in æternum, nō confundar in æternum, nō confundar in æternum.Somnum capiebat in meditatione paſſionis Chriſti,hicq; ſomniabat,ſe videre eum morti proximum, eaq; verba proferrentem, In manus tuas Pater commendo ſpiritum meum, & propterea, etiam ipſe exclamabat in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Cibi non defuit appetentia, & illius cibi, quem qui manducat viuit in æternum: ſanctiſſimum etenim Euchariſtiæ Sacramentum ſumma cum deuotione appetiuit, atq; deguſtauit. Effigies nunquam fuit ſui diſſimilis: nam ſemper eodem vultu extitit erga eos, qui eum in lectulo viſebant, eique de Deo aliaque vita loquebantur Intimè in cubili ad audiendas orationes, & ad extremam vnctionem recipiendā agiliter mouebatur.Quid deniq; dicā de tollerātia morbi? cruciatus illius tulit patienter, ſemperque Deum laudauit, quæ cum ita ſint, ſperandum eſt, fore, vt in terram viuentium aduolarit, atq; eo magis: quia, qui vti mortalis viuit; vitam conſequitur immortalem. Ex hoc igitur dolorem, quo angimur mitigemus, Mazoniumque in vita, & morte nobis imitandum proponamus,vt moriendo māſionum celeſtium potiamur, viuendo in virtutibus eius veſtigia ſequamur, & licet ad tàm ſublimē gradum peruenire quilibet potius optare poſſit,quàm aſſequi: attamen.

Eſt quoddam prodire tenus ſi non datur vltra

DIXI.

ADMODVM R. D. CONSTANTII
Rosæ Neapolitani.

Si lachrymas scisso posset sapientia crine
Hic daret: at tumulo cum patre clausa iacet.

D. FVLVII ANGELINI
Phil. & medici Cæsenatis.

Mazonus Sophiæ custos, & gloria Vatum
Languida nunc gelido marmore membra tegit:
Flete Vrbes Populiq; omnes, Regesq; Ducesq;,
Turbatasq; agitet mœstus Isapis aquas.
Nam virtus, pietasq; iacet, iacet omnis honestas,
Et decus, & grauitas cum probitate iacent:
Fama tamen fertur super, & Garamãtas, & Indos;
Et viuet tanti nomen, honosq'; Viri.

D. EQVITIS SCIPIONIS
Claramontij Phil. Cæsenatis.

Ergo ne qui potuit primas attingere mentes,
Hicque etiam degens versari in lumine puro
Vitai, & tenues deducere luminis auras,
Aeternam vnde trahunt cælestia numina vitam;
Nũc moritur? cæcæ includũt iã hũc limina mortis?
Eheu in hunc, quæso, qui dignus viuere in omne
Tempus erat, vitamq; æqualem extendere famæ
Non periturae vnquã, est adeo accelerata potestas
Fatorum? quod si nostros expromere sensus
Cælestes, liceat cur tot confertis in vnum

Dona

Dona, illumque ſimul noſtro ſubducitis æuo?
An fortè humanos haud quaquam gaudia ſenſus
Impermiſta decent, iuga ſcilicet alta profundæ
Excipiunt valles, & ſiſtit gaudia luctus,
Par tamē haud vnquā iactura fuit: nō tēpora caſū
Vſque adeo inuexere grauem: nec lapſus ab alto
Tantum; non adeoque ſonum extendere ruinæ,
O ſplendor patriæ, Italiæque ò lumen, & orbis
Mazoni mortem hancce tuā audiet vltima Thule
Magnanimæque Europæ oras volitabit in omnes
Fama ingens, triſtes quæ eliciat de pectore queſtus
Vel Thracis, ſæuiq; Getæ, rigidiq; Geloni:
Quid dico Europam? te flebit Ganges, & Indi
Accola, quiq; polo obuertunt veſtigia noſtro.
Longo etenim, veluti quando ſuper aera tractu
Aſtrum forte nouum orbi offulſerit, ingens
Cui coma vel flāma in caudā poſt terga reductæ
Albeſcunt: larga illud lucis flumina pandit,
Et tanto lætæ collucent ſidere noctes.
Omnes illuc vertuntur populi; oraque figunt
Plena ſtupore, obtutu hærent, oculos, & in illo
Diuulſæ toto coniungunt æthere gentes
Nō ſecus Auſoniæ ò decus en virtus tua in omnes
Humanos animos radiantia lumina fudit
Obſcuram potuitque errorum expellere noctem.
Conuertit tū omnes ad ſe mentes, & luce coruſca
Præſtinxitque acies, ſummoque ſtupore repleuit.
Ex alto illicet emicuit, nam ad culmen honorum
cer-

Certatim reges dum te euexere potentes.
Summis fulsit de speculis, modo nobilis aulæ
Hetruscæ, nunc eius, quam allicit vnda Metauri
Nunc Vaticanæ, quæ tantū super eminet omnes.
Stellatum, & supra quæ vertice surgit olympum

D. CAMILLI ANTENTII
Cæsenatis.

Heu Cæsena tibi quæ spes, quàmq; alta columna,
Qui nitor, & toti nunc cadit Italiæ?
Ille cadit, tanto qui te decorabat honore,
Notus, & eois, notus, & Hesperijs;
Quique Deis charus sese hinc super astra ferebat,
Teque simul magni dotibus ingenij:
Cuius, & altiloquo manabant flumina ab ore,
Dum sensus animi promeret ille sui:
Quiq; suo totum fuso splendore per orbem,
Protulit in medium plurima digna Cedro,
Dignaq; quæ seri versent, stupeantque nepotes;
Et dicant hoc nil maius in orbe fuit;
Fulgens vnde aurum legitur, gemmæq; nitentes,
Quales auriferi non daret vnda Tagi;
Et quod pluris erat clarus pietate, fideque
Ad superos arctum qui sibi pandit iter.
Ille Iacobus obit proles Mazonia, cui non
(Proh dolor) vlla ferent secla futura parem.
Inuida fata nimis, nimis & crudelia, tanti
Quæ iuuat ante diem rumpere fila viri.

Scin-

Scinde comas, pectusq; tibi Cæsena, & Isapis
Mœsti Nymphæ omnes, omnis, & Ausonia;
Nullus sitq; modus lachrymis, nullusq; querelis.
Hunc plorent omnes tempus in omne Virum.

EIVSDEM

Ciuis, & Hospes.

H. Quē capere haud poterat vel tota hæc machina (Mundi,
Mazonum angustus continet hic tumulus?
C. Hic idem fontes doctrinæ continet omnes
Nil quibus in terris extitit vberius.
H. Illumne, ingenio qui tam pollebat, & ore
Hic condi, atq; animo tot bona parta suo?
C. Sic factum, H. res ò multos lugenda per annos;
Qui pote tàm paruus tanta operire locus?
C. Omnia mors soluit, tenuesq; resoluit in auras.
Quid quæris? nil ni fumus, & vmbra sumus.
H. O genus hūmanum dura sub lege reuerti
In cineres tantum, tamque repentè Virum?

EIVSDEM.

Corniger Adriacas dum curret Sapis in vndas,
Flebuntur cineres, docte Iacobe, tui.
Quòd non dignus erat te Mundus tā benè mūdo
Immundus, mundo redderis ipse Polo.

EIVS-

EIVSDEM.

Sic dum vitales carpit Mazonius auras
Te iuuat, egregijs amplificatque modis.
Quò magè nunc Cæsena feret te ad sidera, quando
Is potitur Cœlo perfruiturq; Deo?
Næ quæcunq; petes (illo exorante) dabuntur:
Tantum animi possunt vota, precesq; pij.
O te felicem, Cœlo quæ semper habebis
Ad superum Regem tale patrocinium.
Desine iam lachrymas, & tristes fundere quæstus,
Quæ gemit, & tecum, desinat Hesperia:
Nigraq; deponant Nymphæ velamina, Isapis
Et liquidæ currant, & Rubiconis aquæ.

R. D. MATHEI GABANELLI
Cæsenatis.


Quem Cæsena tulit, tantùm quem Roma colebat
Pontifici carum, Principibusq; simul,
Atlanti, ac Tauro iam notum, iam omnibus auctū
Dotibus in terris, omnibus, & numeris:
Qui miro ingenio ingenium est tutatus, & artem
Dantis, sic Dantis grande Poëma micat:
Qui mira arte potens potuit discordia solus
Dogmata magnorum conciliare sophum,
Multaq; multorum reserans arcana virorum
Mæandros soluit, Dædaleosq; sinus:

E Quem

Quem tantis clarum rebus mors inuida nobis
Italiæ lumen (proh dolor) eripuit,
Hunc habet, atq; tenet Cœli placidiſſima ſedes,
Veſcitur hic dulci nectare, & ambroſia.

REVERENDI D. MELCHIORIS
Vitoli Theodoranenſis.

Iuppiter ex alto cum ſcire optaret olympo,
Quis foret in terris virtute inſignior omni,
Quis rerum cauſas, quis cœli noſceret ignes,
Omniaq; immenſus quæ latè continet orbis.
Vraniæ dixit; genitor rex optime regum,
Omnia nullus habet te præter, ſi tamen vllus,
Hic Mazonus erit, Cæſenæ gloria, & vrbis
Omnis & Auſoniæ: virtute hic præditus omni;
Poſſidet hic ſolus doctorum arcana ſophorum.
Quid manet in terris? nate ò nate aliger alas
Sume pedum, ſubitò veterem te confer ad vrbem,
Quà vagus Adriacas Sapis decurrit ad vndas,
Mazonum inuenies meditantem, & multa parantē
Scribere, duc illum præcelſi ad ſidera cœli.
Protinus ille viam nectens talaria plantis
Arripit, & cœli Mazonum ſiſtit in arce.



DEL SIGNOR PANDOLFO
Sprani Canonico, e Giureconſulto da Ceſena.

CADESTI, ohimè, mentre cadeua il Sole,
D'Italia Sole! anzi volaſti al Cielo
Nou'aurora ſeguendo: hor caldo, e gelo
Sprezzi, ſpirto gentil, celeſte prole.
Mazzoni'l chiaro tuo gran nome cole
Non pur Ceſena tuo natiuo ſtelo:
Mà Italia, e quanto lui, che regna'n Delo,
Mirà girand'eſtà terrena mole,
Tù coſtì sù contempli hora, e ti godi
Quel vero ben, che già qui per le carte,
Quaſi entro à ſpeglio contemplaſti'n ombra.
Deh mir'al noſtro duolo. il piant'hor'odi
Il cald'affetto mio gradiſci'n parte.
Priega per mè. le mie mancanze addombra.

DELL'ISTESSO.

Priega per mè. le mie mancanze addombra
Alma felice à pieno, accolta'n parte,
Oue Saturno, e Gioue, Hermete, e Marte
Calchi, e i pianeti, ond'eſce'l lume, e l'ombra.
Et hor, che di terreni affetti ſgombra
Senza fattica, ſenza ſtudio, od'arte,
Scorgi con occhio puro à parte à parte
Quel Trino, & vn, che'l tutto, e nulla'ngobra.

Come se stesso conoscendo'l Padre
Generi'l Figlio, e'l Paracleto come
Da scambieuol'amor spirino'nsieme.
Deh mentre tù frà mille, e mille squadre
D alme beate essalti'l tuo bel nome,
Di mè ti caglia, cui tu'assenza preme.

DELL'ISTESSO.

Di mè ti caglia, cui tu'ascenza preme,
Chiaro Mazzon, che da quest'ime, & adre
Valli à le piaggie amene, alte, e legiadre
Salisti, ou'han la fè fine, e la speme.
Costì, doue d'error più non si teme,
Ou'è che la virtù si scorga, e squadre
Quella virtù, ch'à tutte l'altre è madre,
Quella virtù, che tutte l'altre preme.
Contempli hora, e ti godi, hor'e ti gioua
D'hauer tanti acquistati habiti santi
Quì vegghiando, e sudando, & agghiacciando.
Così tua gioia, eterna in chiara proua
Fassi maggiore. hor'i sospiri, e i pianti,
E da gli occhi, e dal cor vadino in bando.

DEL SIGNOR CAVALIER
Enea Rasi da Rimini.

Quella man, che formò con tanta cura
Senza materia oprar l'alma immortale,

Splendore al capir suo le insuse eguale,
Cui terren velo i lampi asconde, e fura.
Mà s'aurà poi gentil scacciar procura
Gli error con l'arte, e le ramembra, quale
Dianzi foss'ella, à tal grandezza sale,
Che il tutto scopre al suo saper Natura.
Mazzon Illustre; hor qual'altra alma scende,
Che la tua agguagli al ramentar si pronta,
Quanto à l'oprar, e al contemplar conuiensi?
Si disse Italia, e mentre gli occhi intende
Ne' merti suoi di virtù mille accensi,
Vede, ch'à vn balenar gl'astri ei sormonta.

DELL'ISTESSO.

Nel Teatro del mondo hoggi è finita
La tua Tragedia, oue con valor tanto
Mazzon prendesti d'huom celebre il manto,
E con lode il lasciasti anco infinita:
Con applauso il dir tuo diè senso, e vita
Dianzi al poema; ond'hà l'Etruria vanto,
Hor lasso il fin del gaudio assaglie il pianto
Nè fuor che morte in scena altro s'addita;
Onde quanto già in tè lieti ammiraro
Nelle scole, e ne' i fori ingegno, & arte
L'Arno, il Pò, l'Adria, il Reno, il Tebro, e'l Cië (ti;
Tant'hor più mesto il Sauio al caso amaro
Il suo danno e'l tuo nome in bronzo e'n carte
Fà noto à queste, e à le future genti.

DELL'ISTESO

Mentre febo al Mazzon la tomba ergea,
 Le Muse in lettre d'or questo formaro;
Se la virtù stracciarsi il crin potea,
 E far per doglia hoggi vn torrente amaro;
Qui mesta al Padre suo fuor l'appendea,
 Nè d'vn fiume era il fronte al suolo auaro:
Ma poiche nel morir la trasse ei seco,
 Le chiome e'l pianto asconde il freddo speco.

DEL SIGNOR GIVLIO MORIGI da Rauenna l'innabile academico innominato.

Cosi sent'io nobil Mazzon, ch'ottenne
 Sua morte quei, di cui tù gran difesa
 Prendesti; & hai, com'ognun vede, accesa
 L'arte à stancar per lui ben mille penne.
Ecco'l fuor di sua patria, e come dienne
 Sua gran vertù per tutta Francia'ntesa:
 Et eccolo in Romagna, e quiui impresa,
 Ch'appò sè d'honorarlo huom grande tenne.
E qual tu'ambasciator mandato, e pieno
 Il mondo del suo nom celebre, e chiaro,
 Con piant'vniuersal chiudersi'n tomba.
Scriss'ei, come si legge, e tù non meno
 Scritt'hai, come si mira, hor chi rimbomba
 Trà voi conforme più? ch'andò più à paro?

IL FINE.

XX

[illegible]

[illegible]

DEL SECONDO LIBRO [illegible]

[illegible]

[illegible]

XXI

XXII





MC

